

GREGORIUS. PP. XVI.

1841, 11 Gennaio

42

Dilecte Fili Noster salutem et Apostolicam Benedictionem. Devincta Nobis quam probe novimus singulari studio ac fide voluntas Tua minime Nos sinit dubitare, quin, uti confirmas, et quotidie memor sis Nostri in orationibus Tuis, et instantius etiam ac fidentius pro Nobis oraveris per hos dies, quibus Infans natus ex Virgine Dei Filius Salvator Mundi se praebet facilius exorabilem. Quae cum illa ipsa sint auspicia, quibus hoc in tempore unice optamus a filiis Nostri consalutari, gratiam Tibi pro officio Tuo eo majorem habemus, quo certius Nobis est, Te vere loqui quod loqueris, et quod facis toto animo facere. Eundem benignissimum Dominum invicem obsecramus, ut repleat Te omni bono et gratia, ad incrementum meritorum Tuorum, et omnium profectum curae Tuae pastoralis creditarum diutissime servans. Pignus autem paternae caritatis Nostrae habeto Benedictionem Apostolicam, quam Tibi, Dilecte Filii Noster, eidemque Tuo Gregi peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 11. Januarii MDCCCXLI. Pontificatus Nostri Anno Decimo

GREGORIUS PP. XVI

Istituto Campana Osimo ®

*Dilecto Filio Nostro
Joanni Tit. S. Quatuor Coronatorum Presb.
S. R. E. Cardinali Soglia Archiepiscopo
Episcopo Auximano et Cingulano*

